DE PUTRESCENTIA UTERI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE SIBI CONCILIANDIS
DIE V. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

J. HENR. JULIUS FINZELBERG
SERNOVIO - BRANDENBURGICUS.

OPPONENTIBUS:
C. NAGEL, MED. ET CHIR. DR.
C. BREITHAUPT, MED. ET CHIR. DD.
F. HAMMER, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, DOCTISSIMO,

DIT. GUIL. HENR. BUSCH,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, REGI A CONSILIIS MEDICIS, MEDICINAE PROFESSORI P. O. IN UNIVERSITATE LITTERARUM FRIDERICA GUILELMA, INSTITUTI CLINICI OBSTETRICII DIRECTORI, ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA IN CLASSE QUARTA EQUITI, PLURIUM SOCIETATUM MEDIC. ET NATURAE SCRUTAT. SODALI, UNIVERSITATIS HUJUS H. T. RECTORI MAGNIFICO ETC. ETC.

NEC NON

PATRI

OPTIMO, CARISSIMO, DILECTISSIMO

FRID. HENR. FINZELBERG,

BENEFICIORUM PER CHRISTUM GENERI HUMANO PARTORUM APUD KALTENBORNIENSES ETC. TESTI ET PRAEDICATORI,

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quum et in enchiridiis et in ephemeridibus de uteri putrescentia tam diversae opiniones sint obviae, ut tironi difficile esse debeat, quam opinionem suam reddat, studui ut historias morbi comparando, de natura ejus me certiorem faciam. Quod hanc ob causam operae pretium esse videtur, quia putrescentia uteri fortasse sit dirissimus morbus, qui in graviditate mulierem vel in puerperio invadit. Putrescentiae valde similis morbus est *gangraena* uteri, quod ad solutionem et perturbationem attinet; sed gangraena uteri semper metriti-

dis est sequela, quare non nunquam causis mechanicis traumaticis provocata est, et in puellis intactis, et in feminis gravidis et in puerperis et in matronis observatur. Quum symptomata metritidis essentialia constent, et in putrescentia aliis symptomatibus gravioribus perturbatur, superfluum mihi est visum ea enumerare. Quare imaginem solam putrescentiae non inflammatoriae adumbrare studui et epicrisin adjeci. Nova autem non exspectes, L. B. in colligendis virorum doctissimorum atque experientissimorum opinionibus de uteri putrescentia, tirocinium posui; quod ne obliviscaris iterum iterumque rogo.

DECURSUS ET SYMPTOMATA MORBI.

Durante graviditate putrescentia uteri difficillima est cognitu, et symptomata observationem et ipsarum gravidarum sensum ita fugiunt, ut nihili ea faciant. Ipse *Boër*,* qui primus sub fine praeterlapsi saeculi morbum descripsit, dicit: »Characteristicum ejus esse, nihil habere characteristici, quam, qui centies viderit, nunquam satis agnoscat.« Quae si ita se habeant, ipse *Boër* vix unquam morbum cognoverit, quamquam, quod ipse praedicat, pluries, ubi alii medici sat edocti et sagaces nihil suspicati erant, tristem exitum jam e primis et levissimis symptomatibus usque ad diem horamque divinatus est. Morbum jam ante graviditatem oriri posse, ut nonnulli arbitrantur, non liquet. Quod si posset fieri, non video, quid impediat, quominus procedat et accrescat, qua ex causa nullum unquam observatum sit exemplum in feminis non gravidis, quum in cadaveribus sub finem graviditatis mortuarum purescentia saepissime in conspectum veniat. Omnes

collum uteri subfrigidum, laxum, non dolorificum invenimus. Quin etiam partes propinquae, ut vesica urinaria et rectum urinam et excrementa accumulata minus sentiunt. Mammae sunt minus turgidae, laxae; lactis secretio vel nulla vel parca, ac si largior est, lac est tenue et serosum. Sed *Boër* interdum ultimis vitae momentis, ac praecipue post mortem mammas lacte turgentes observavit. — Nihil vero in aegrotis magis desideratur, quam florida et turgida facies, qua puerperae primo post partum die gaudere solent, e contrario collapsa, oculi languidi, sine solito splendore, lividis marginibus circumdati, in orbitas retracti; cutis pallida et livida, turgore et saluberrimo illo sudore carens et loco ejus aut sicca aut sudore viscido est imbuta humefactaque. Febris, si ut plerumque adest, continua remittens cum irregularibus sed vehementissimis exacerbationibus, quae versus vesperam intrare solent et insignes sunt: frigore quidem levi, calore autem ardente et longo, quem sudor copiosus et vires egregie consumens excipit. Sitis maxima, lingua leviter obtecta vel pura. Praterea plurimis aegrotis adest vomitus materiae viridis, quae sedimentum, ei haud dissimile, quod in oleo observamus, deponit; qui autem, quo est frequentior et levior, eo pejor aegrotae conditio; porro diarrhoeae colliquativae, excrementa fusca, mucosa et foetidi odoris, saepe flocculis albis tenacibus submixta, teste *Boër*, pessimum signum. Idem auctor affirmat, si vomitu aut alvo ascarides lumbricoides mortuae eji-

ciuntur, de morte nihil dubitandum; et casus quoque communicat, in quibus frustra adhibitis clysmatibus et purgantibus aegrotae obstructae remanserunt; quae omnes die tertio mortem obierunt. Interdum etiam maculae opacae, modo disparentes modo reflorescentes, sicuti in scorbuticis et aliis morbis, sunt observatae.

Rarissime autem morbi imago est tam pura et sincera, et fere semper inflammationes abdominis alias secum habet, quibus plus minusve statuitur febris puerperalis. Ac nisi justo celerior mors irrumpit, sicut post febrem puerperalem in mortuarum abdomine, fluida illa lactea, quamquam minore copia, peritonaeum, tractus intestinalis et alia organa inflammata reperiuntur. Quae quum ita sint, alia adhuc permulta in observationem veniunt symptomata, quae exponendi, quum febri puerperali tribuenda sint, hic non est locus. Quare vix mirandum, medicos putrescentiam uteri, cujus ne minimum quidem symptoma usque ad obductionem observarent, sequelam solam febris puerperalis habuisse. Sunt vero, qui hysteromalaciam speciem peculiarem puerperalis febris agnoscant, et recte quidem, ut mihi videtur, quod serius explicare studebo. — Ubi febris puerperalis adest, exacerbationes vehementissimae, deliriis haud raro comitatae esse solent, et aegrotae citissime diem supremum obeunt. Si deest febris puerperalis plane sibi consciae sensim sensimque e vita decedunt, quamquam interdum praeter omnem exspectationem convulsioni-

bus corripiuntur. Interdum, auctore *Boër*, ex-
thema miliare apparet, et quamquam febris et cet
symptomata optima sperari jubent, moriuntur
grotae putrescentia, quam adfuisse obductio doc
Idem celeberrimus vir, putrescentiam uteri in m
tuis se observasse testatur, etiamsi in vivis abdom
molle, nihil dolens, pulsus normalis, lingua pu
sensorium liberum remanserint. Interdum dura
partu aut brevi post subito moriuntur, quamqu
tertius, septimus sive undecimus dies post part
maxime letales esse videntur. Nullam unquam
dit *Boër*, vigesimo die superato, defungi.

CAUSAE.

Quod ad causas attinet, scriptores magis co
sentiunt. Paucis verbis eas exponere liceat. Pr
dispositionem praebet constitutio laxa, leucoph
gmatica, ciborum et victus tenuitate et depravatio
labefacta, nec non aëre humido, inquinato. Qu
in nosocomio aegrotis abundantibus, anni tem
state favente, regionibus uti *Joerg* suadet, palud
sis et temperiei subitis mutationibus, plagis humi
multo frequentior est, quam sub conditionibus co
trariis. Ad causas efficacissimas pertinent animi
fectiones deprimentes, uti moeror, curae, pudor e
multi partus iique difficiles, haemorrhagiae, secret
nes nimiae cujusque generis, coitus justo frequ
tior et omnia, quae reproductionem supprimunt. Qu
saepius obvenit morbus in feminis extra conjugi
gravidis, saepius in pauperis, quam in opulen

Hesse ex analogia cum aliis malaciis arbitratur, mechanicas quoque causas eam efficere posse, imprimis praedispositione data. Sanguinem quoque interdum inter uterum et ovi tunicas repertum huc pertinere suadet; quamquam dubitat, an non sit potius mollitiei sequela.

Inter occasionales causas primum locum tenet et fortasse sola est, graviditas; puerperium quoque vocatur, sed morbi historiae refutare videntur, putrescentiam post partum excitari; nam omnes aegrotae durante graviditate jam plus minusve erant debilitatae, tristes etc. Symptomatibus ab initio puerperii deficientibus, prae ceteris ichorrhoea, demonstrari non potest, morbum ipsum non adesse, si cogites, haec symptomata in summo morbi gradu, utero ex parte quidem omnino destructo, intrare posse.

Omnes res, quae totam reproductionem afficiunt, uterum gravidum vix intactum relinquunt; quod et physiologia et innumera exempla observata satis superque docent. At vero quomodo, ut nonnulli arbitrantur, dictis illis causis occasionalibus, semper efficiatur inflammatio, non video. *Carus:* »inflammatio« inquit «est vita plastica, certa quadam parte normam excedens, cum insignibus ruboris, caloris adaucti, turgidae intumescentiae et sensibilitatis excitatae. Quod ad causam proximam attinet, est generandi et procreandi actio inter medullarem nervorum substantiam et sanguinem partis cujusdam provocata, ita ut, quae efficiat et producat, ad sanam vitam non pertineant.« Quae ubi

ita sunt, nescio, quomodo e dictis causis, quae om-
nes sunt debilitantes, haec actio generandi et pro-
creandi provocetur, quam putrescentiam efficere di-
cunt. Equidem revera nihil dubito, ad putrescen-
tiam statuendam inflammationem non necessariam
esse; quin etiam per se vix talem mutationem effi-
cere posse. Nam etiamsi multum absum, ut inflam-
mationem cum *Boër*, *Joerg*, *de Siebold* et aliis plane
rejiciam, plurimis in casibus, qui observati tradun-
tur, neque in viva symptomata neque in mortua si-
gna inflammationis reperiuntur; ac si aderant sym-
ptomata inflammationis, saepenumero per consensum
potius ex aliis organis sunt profecta. Nihilominus
tamen etiamsi in decursu morbi propter malignum
et putridum febris characterem metritidis sympto-
mata observari non potuerunt, in mortem saepe
tam insignia apparent, ut omnino negari vix queant.
— Qui morbum cum decubitu post febres nervosas
commiscent, inflammationem semper statuere debent.
Habemus enim in partibus decubitum circumdanti-
bus omnia inflammationis symptomata: ruborem,
calorem adauctum, dolorem etc., quae in ambitu us-
que ad sanitatem aut mortem persistunt.

DE NATURA.

De morbi natura et causa proxima scriptores
valde dissentiunt. Alii putrescentiam ex inflamma-
tione oriri contendunt, alii negant, alii utrum-
que probant. Qui inflammationem rejiciunt, alii
putrescentiam pro symptomate febris puerpera-

lis; alii, ita *Boër*, *Romberg*, *Balling* pro specie neurophlogosium vel inflammationum neurophlogisticarum habent et similitudinem ostendere student; alii putant eandem esse putrescentiam, quae mollities organorum aliorum. — Ex quo loco putrescentia originem ducat, aequo modo auctores inter se discrepant. Sunt, qui materiam peccantem membranam deciduam *Hunteri* putent, et qui in substantia ipsa uteri incipere dicant.

Quibus universe praemissis, virorum illorum celeberrimorum atque doctissimorum aestimationes, quas cognoscendi occasio mihi se praebet, enumerabo:

Boër, qui primus, quod jam dixi, putrescentiam uteri morbum statuit, ex inflammatione oriri negat, et membranae deciduae *Hunteri* dissolutione, etiamsi non excitaretur, semper tamen cum ea conjunctam esse, contendit. Comparat cum sphacelo in scorbuticis et cum decubitu in febribus nervosis obvio, et quae sunt similia.

Joerg putrescentiam uteri vocat eam, quae *sine inflammatione antecedente*, ab interna uteri superficie exordiens, ipsius uteri substantiam imprimis collum et partem, in qua placenta habuit locum, dissolvit atque mortificat. Morbi proximam causam ponit in tunica decidua *Hunteri* justo ampliori et pathologice languescente, ita ut substantia uteri ipsius, quum justa vi vitali careat, inde eodem modo afficiatur.

Id, quod *Boër* et *Joerg* docuerunt, *de Siebold*

confirmavit. *Locher* enim, qui *Sieboldii* observationes demonstravit, negat inflammationem et morbum in mortificatione ipsius uteri ab interna ad externam superficiem pergenti ponit.

Szezucki sequelam inflammationis ejusque lentae esse putat, quae jam ante conceptionem adfuerit. Quare non essentialis sit morbus, sed sequela tantum morbi, et locum suum potius in substantia uteri, quam in decidua membrana habeat.

Auctore *Hesse* putrescentia uteri non est alia, nisi malacia, quam e. g. in cerebro, ventriculo, hepate etc. invenimus. Hysteromalaciae duas species distinguit, alteram dicit oriri ex inflammatione, quippe quae, uti in aliis malaciis, sit rarius pura, non complicata, acuta potius quam chronica, alteram a *Boero* significatam, omnino nutritionis mendae et materiei primariae dissolutioni, quae non nisi ex tota reproductione offensa prodeat, esse tribuendam. Quam opinionem *Romberg* quoque habet, qui cum gastromalacia et carcinomate ventriculi componit.

Busch dicit: primariam substantiae uteri mortificationem, propter analogiam cum solutione atque malacia organorum aliorum negari quidem non posse, sed plurimis in casibus ex inflammatione esse derivandam. Ceterum febris puerperalis certam speciem ex individuali praedispositione profectam habere suadet.

Bischoff, *Schmidt*, *Desermeaux* et alii morbum febri puerperali differre negant et pro exitu ejus

arbitrantur; praeterea morbum contagio certo verisimiliter propagari ferunt.

Sundelinus habet pro affectione, quasi paralytica, nervorum, inprimis eorum, qui reproductioni inserviunt, quae affectio jam durante graviditate oriatur. *E. Blasius* in ipso utero morbi originem ponit, neque in membrana decidua *Hunteri.*

Hae sunt variae scriptorum de morbi natura opiniones, quot equidem colligere potui, et quae praeterea de ea sunt dicta, his subjungenda videntur.

PROGNOSIS.

Quum plerumque eo demum tempore morbum cognoscamus, quo jam maximum gradum est adeptus; quod symptomata antecedentia tam levia atque occulta sunt, prognosis non nisi mala est dicenda. Omnino non est verisimile, in organo, cujus vis vitalis tali modo sit exstincta, iterum vel natura vel arte resorptionem atque restitutionem ad normam, partes mortuas removendo, revocari posse. Exempla quidem adferuntur, hysteromalacia laborantes ad sanitatem iterum esse perductas, sed his in casibus, quod *de Siebold* recte monet, sine dubio hicce tam durus morbus vel non aderat, vel in minimo gradu. Curae prophylacticae spes est major, si, quod rarissime prodolor fit, durante graviditate adhibetur. — Symptomata autem, quae exitum faustum indicant, maxime haec sunt: Liquor amnii, placenta atque umbilicaris funiculus valde

depravatus, lochia foetida, ichorosa; ascarides mortuae cum vomitu vel alvo ejectae; vomitus materiae viridis; diarrhoeae cum sedibus fuscis, mucosis, foetentibus, vel obstructio alvi pertinax; sudores colliquativi profusi; pulsus frequentissimus; respiratio difficillima etc.

SECTIO CADAVERUM.

Mutationibus, quae in aliis organis non ad partes genitales spectantibus sunt apud sectionem cadaverum inventae, omissis, uterum prae ceteris, qui maxime destructus esse solet, describam. Uterum multis in casibus non satis contractum, quare majorem, quam illo tempore, quo aegrota obiret, natura conveniens esse deberet, videmus. Superficies externa nihil irregulare plerumque praebet; interdum est magis minusve inflammata et exsudationibus lymphaticis obtecta, interdum diversissimis infecta coloribus, qui sine dubio post mortem non raro adducti et ex universali corporis putrescentia, quae paulo post sequitur, sunt orti; est enim paene non ullus color, a scriptoribus non vocatus. Sed rarissime superficies externa magis destructa est quam interna. Unum exemplum vero adfertur, ubi ad feminam ante partum exstinctam statim laparohysterotomia facta, superficies externa multo magis quam interna fortasse inflammatione antecedente erat destructa. Uteri substantia, in locis non dissolutis ex sordido pallida, lardo suffumigato non dissimi-

lis, grisea, viridis, subnigra etc. Parietum crassitudo vel est normalis eaque rara, vel crassior inflammatione antecedente, vel tam tenuis, ut sectione facta diameter lineam non excedat, et uterus saccum membranaceum praebeat. Superficies interna plerumque materia grisea, livida, lapidi schisto, quod ad colorem attinet simili, et interdum nigra, cruenta, purulenta est obtecta, corrosa atque exulcerata. Rarissimis tamen in casibus totius uteri superficiem internam hocce modo depravatam videmus; putrescit enim una alterave pars tantum, quam inter et partem sanam linea limites designans, quae in gangraena se praebet, non adest, altera in alteram partem modo inobservabili transit. Locus, ubi placenta adhaeruit pluribus in casibus maxime patitur, quia in eo sunt vasa permulta. Colli uteri majorem destructionem saepissime observatam, a partu ipso adductam putamus, quod durante partu praecipue deprimitur, extenditur laediturque; quare etiam, quod ex historiis ab auctoribus narratis patet, apud illas, quae ante partum diem obierant, collum uteri magis minusve sanum erat; apud illas autem in puerperio exstinctas semper maxima parte correptum et destructum. Materia illa grisea, livida, emollita, plus minusve profunde, plerumque quidem duas usque ad tres lineas uteri substantiam penetrat, facile manubrio scalpelli, massa soluta, homogena deradi potest; sub qua nonnunquam rete vasorum inspicimus.

Ligamenta, tubae *Fallopii*, ovaria aequo modo

interdum sunt destructa, saepissime autem non, u substantia uteri, putrescunt, sed justo molliora laxa, livida, maculis subnigris obtecta inveniuntur aut vestigia inflammationis vel destructionum orga nicarum praebent.

EPICRISIS.

Ex morbi historiis ut mihi videtur, quod par tim jam ex iis, quae sunt dicta, patet, colligi potest: 1) hystero-malaciam plurimis in casibus sine inflammatione oriri, quamquam negare nolim, morbum illum interdum inflammatione adduci, sed hoc in casu inflammatio non est causa unica; 2) morbo idem non satis apertum atque explicatum principium, quod malaciae aliorum organorum sequi soleant, ansam dare; 3) morbum cum mortificationis processu membranae deciduae *Hunteri* non normali, in uteri substantiam profundius se extendente incipere, quam ob causam durante graviditate et fortasse in puerperio solum oriatur.

Si uteri putrescentia veram inflammationem semper sequeretur, apud fortiores, plethoricas, systema vasorum irritabile gerentes mulieres, in quibus omnino inflammationem saepius observamus, nec vero apud laxas, cachecticas, momentis cujusque generis debilitatas eam inveniamus. Symptomata inflammationis nonnulla quidem morbo antecedere necesse sit. Nam nullo modo me persuasum habere possum, ab initio inflammationis jam uterum tantopere posse destrui, et eo tempore, quo si inflam-

matio adsit, auctam habeamus, vitam plasticam tam vehementer esse perturbatam. Aequo modo e. c. capitis vulnera, sero, si non exspectes, mors encephalomalaciae causa sequitur. Nemo sine dubio opinionem teneat, novam inflammationem iterum esse ortam, cujus ne minimum quidem symptoma aderat, et cui ut exoriatur, non erat tempus! Uterum autem ipsum impressione fortiore adhibita non dolorificum et remissum quidem et laxum; temperaturam non solum non altiorem exploratione interna, sed magis frigidam, quam esse statu normali debeat sentimus. Febris, si adest, inflammatorium characterem non tenet, pulsus est parvus, mollis etc. Si sub fine morbi inflammationis symptomata intrant, sequelae plurimis in casibus morbi primarii sunt, aliis organis per consensum aegrotantibus. — Sectione facta, quae reduci non possint ad inflammationem videmus: uterus vel tota superficie interna, vel ut plerumque fit, singulis locis ejus putrescens, in substantia et superficie externa ruboris atque intumescentiae vestigium non praebet, e contrario e fusco albus est, saepe tenuissimus; quae ex inflammatione orta demonstrare non possis. Denique autem, si morbus inflammatorius esset, cura antiphlogistica auxilii aliquid dare debeat; etiamsi fieri non possit, ut morbum vinceret, pro tempore tamen melius se habentes aegrotas redderet. Sed *Boër* dicit: cura antiphlogistica adhibita eo prius ad mortem festinant.

Inflammatio, si adest, causa non unica, sed alia

subsidia adveniunt, quae causis jam supra nominatis exceptis inflammationis ipsius character malignus, febris typhosa, cachexia universalis propria et quae sunt alia, esse possunt; neque minimi sit momenti contagium ex aëre nosocomiali perturbato ortum.— His ex causis, ut mihi videtur, intelligi potest, morbum, qui plurimis in casibus non inflammatorius sit, tamen interdum talem characterem generari posse.

Putrescentia uteri eadem, quae aliorum organorum malacia est habenda. Neque in putrescentia, vel ut malim malacia uteri, neque in aliorum organorum malacia semper inflammationem antecedentem observamus, quare dolores vel desunt, vel tamen nullius momenti. Symptomata pathognomonica nulla in specie malaciae organorum internorum habemus, tum morbus signis gravissimis se praebet, tum ut videtur repente intrat, et sectio sola eam adfuisse nobis testis est. Febris est rarissime regularis et continua. Interdum non unum symptoma febrile invenies, nisi paululo ante mortem febris adynamica intrat. Plurimis in malaciis cachexiam propriam, quae causa remota est, invenimns, quod *Hesse* bene docet. Conveniunt porro inter se in eo malaciae, ut momenta cachexiae faventia (mala et perpauca nutrimenta, domicilium humidum, aër humidus, depravatus, affectiones animi deprimentes) antecesserint; quare macies et adynamia jam antea adsunt.

Malacia est causa frequens rupturae, ita post mortem ventriculus, hepar, lien, uterum emollitum

perruptum invenimus. Volumen partis emollitae pro norma est minutum atque atrophia adest. Quod ad colorem attinet, si malum ad altiorem gradum est progressum, paene idem semper subniger est, speciem sordidam, coeruleam, lividam praebens.

Odor putridus, cadaverinus, quem in hysteromalacia sola invenimus, nam in malaciis organorum aliorum odor nihil abnorme praebet, similitudinem nullo modo diminuit; si enim consideras, membranam deciduam *Hunteri* in statu naturali, physiologico jam dissolvendam esse, et lochia regularia saepissime jam nares offendere, revera in statu morboso hujus generis non est mirandum. Porro id non omittendum est, quod advenire potest aër atmosphaericus, cujus potestas dissolvens materiarum organicarum satis est nota, quod in organis aliis internis malacia laborantibus, aequo modo fieri non potest.

Praeterea similitudo malaciarum organorum aliorum cum hysteromalacia comprobari videtur, quod de natura cujusvis malaciae, paene easdem opiniones ab aliis quidem auctoribus adlatas legimus; neque amplius inter se consentiunt scriptores de natura encephalomalaciae, quam hysteromalaciae. *Richter* putat cerebri mollitiem esse reformationis atque regressus processum ad vitae prioris statum et quidem in chaos quoddam vi reproductiva a resorbente victa. Talem processum in utero adesse negari quidem non potest, et concedimus quoque, vim reproductivam in malacia organorum resorbente fortio-

rem esse, quare processu nutritionis irregulari molli-
lities adducatur, ergo symptoma solum morbi uni-
versalis sit, quam ob causam hysteromalacia speciem
febris puerperalis cum conditione indolis propriae
habenda; attamen similitudinem status prioris in
universo obtinere, difficile sit. Ex observationibus
posterioribus tantum de hac re accurate et certo di-
judicari poterit.

Quod ad partem, ex qua hysteromalacia inci-
pit, attinet, mihi persuasum habeo, non e substantia
uteri, sed e membrana decidua *Hunteri* initium ca-
pere, non vero membranam illam causam hystero-
malaciae esse, quod jam supra dixi. His de cau-
sis: apud sectionem superficiem internam magis de-
structam externa invenimus; superficies externa non
raro sana esse videtur et interna putrescit. Unde
in casu, ubi superficies externa latius fuit pertur-
bata, interna quoque nonnullis in locis aequo modo
destructa et tota substantia emollita. Si jam morbi
initio aegrotae diem obierant, substantia uteri mu-
sculari paene erat normalis, et sola membrana mu-
cosa putrefacta; si morbus maximum gradum ade-
ptus erat, substantia muscularis perpaucas lineas a
superficie interna ad externam putrefacta, superficie
externa nihil abnorme praebente, nisi erat pallidior.
Membrana decidua *Hunteri* a natura ipsa jam extin-
guitur, quare mors ad partes appropinquantes fa-
ciliter transire potest, praecipue, quod uterus vi
vitali necessaria caret.

LITTERATURA.

Boer, L. J., Abhandlungen u. Versuche geburtshülflichen Inhalts, zur Begründung einer naturgemäfsen Entbindungsmethode u. Behandlung der Schwangern, Wöchnerinnen und neugebornen Kinder nach Erfahrungen und Beobachtungen im Wiener allgem. Gebärhause. Wien 1791—1807. Th. III. S. 73.

Joerg, J. C. G., Schriften zur Beförderung der Kenntnifs des Weibes und Kindes im Allgemeinen und zur Bereicherung der Geburtshülfe insbesondere. Leipzig 1816. S. 1.

Horn, E., Archiv für medicinische Erfahrungen. Berlin 1822, 6. Heft. 1825, 5. H.

Hufeland, C. W., Journal der pract. Heilk. Berl. 1821. Octbr.

Hesse, J. G., Ueber die Erweichungen der Organe und Gewebe des menschl. Körpers, Leipzig 1827.

Busch, D. W. H., Lehrb. d. Geburtsk. Marburg 1833. S. 284.

Carus, C. G., Lehrb. d. Gynaekologie u. s. w. II. Th. S. 248.

Meissner, F. L., Forschungen des 19. Jahrhunderts im Gebiete der Geburtshülfe, Frauenzimmer- u. Kinderkrankheiten. Leipzig 1826. II. Th. S. 248 u. V. Th. ebend. S. 362.

Rust, J. N., Magazin für die gesammte Heilkunde. Berlin 1816 etc. Bd. 18. Hft. 2. S. 340.

Siebold, A. E. v., Journal für die Geburtshülfe, Frauenzimmer- und Kinderkrankheiten. III. Bd. S. 381. Frankfurt a. M. 1822.

— Handbuch zur Erkenntnifs und Heilung der Krankheiten der Wöchnerinnen. Frankf. 1826. II. B. 3. Abschn. S. 239.

Locher, J., Diss. de putrescentia uteri. Berolini 1819.

Ruegenberg, G., Diss. de putrescentia uteri. Berolini 1833.

V I T A.

Joannes Henricus Julius Finzelberg die II. m. Decembris anni X. hujus saeculi Sernoviae, Marchiae mediae pago, a Jueterbogio haud procul dissito, natus sum patre Augusto Henrico, verbi divini ministro, matre Sophia Guilelma e gente Hermanniana, quos Dei gratia adhuc vivos maxima pietate veneror; evangelicae confessioni sum addictus. Iis literis, a quibus omnis eruditio proficisci solet, ab ipso patre instructus, Gymnasium Vitebergense, rectore florens doctissimo Spitzner, adii sexennioque elapso, maturitatis testimonio munitus, ad almam litterarum Universitatem Berolinensem me contuli et Ill. Boeckh fasces academicos tunc

tenente in album Universitatis receptus sum. Per semestre scientiis mathematicis operam dedi, quibus relictis artem medicam professus sum. Ab eo inde tempore Virorum Illustrissimorum atque Celeberrimorum has praelectiones audivi: Osteologiam, anatomiam universam, sensuum organorum, foetus humani, comparatam et physiologiam, nec non methodologiam et encyclopaediam e scholis Beat. Rudolphi, qui una cum Ill. Mueller et Ill. Schlemm in exercitationibus cadaverum secandorum dux mihi fuit; splanchnologiam et syndesmologiam e scholis Ill. Schlemm hausi. De logice Ill. de Henning, de zoologia Ill. Lichtenstein, de mineralogia Cel. Rose, de physice Beat. Hermbstaedt, de chemia Ill. Mitscherlich, de botanice nec non de materia medica Ill. Schultz disserentes audivi. Pathologiam universalem Ill. F. Hufeland, pathologiam specialem, pathologiam et therapiam generalem et specialem morborum mentis atque syphiliticorum Ill. Horn, therapiam

Ill. ***Hecker***, *chirurgiam universalem et specialem Ill.* ***Rust***, *artem obstetriciam theoreticam Ill.* ***Busch*** *mihi tradiderunt. Clinicas institutiones medicas, chirurgicas, ophthalmiatricas et obstetricias Cel.* ***Truestedt***, *Ill.* ***Bartels***, *Cel.* ***Wolff***, *Ill.* ***Rust***, *Ill.* ***de Graefe***, *Cel.* ***Barez***, *Ill.* ***Busch*** *frequentavi.*

Praeterea annum unum, quo rebus militaribus satisfacerem, in cohorte equitum loricatorum muneribus medici militaris, duce viro doctissimo ***Bieske***, *functus sum.*

Jam vero tentaminibus, philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero, fore, ut, dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

T H E S E S.

1. *Rhachitis non ex causa scrophulosa.*
2. *Quaevis haemorrhagia est morbi symptoma, non morbus ipse.*
3. *Ulcus syphiliticum primarium est morbus localis.*
4. *Trepanatio matura plerumque rejicienda.*
5. *Perforatio infantis vivi non semper vitanda.*
6. *Medicamen specificum contra scrophulosin inveniri potest.*